



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ivs Ecclesiasticvm

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titulus I. De Summa Trinitate & Fide Catholica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)

LIBRI I.
 INSTITUTIONUM CANONICARUM
 TITVLVS I.
 De Summa Trinitate & Fide
 Catholica.

Potiori Jure, quam Codicem suum Justinianus Imperator, Decretalium Compilationes à Deo Uno Trinòque & Orthodoxa Fide summi Pontifices sunt auspicati; cum, quia illis comprehensi Sacri Juris primum principium & finis ultimus est Divina Trinitas, ad quam Catholica & Orthodoxa Fidei magisteriò dirigimur, ductùque pervenimus: tum verò; quia Ecclesiastici Canonnes Divina Legi & Catholica Fidei Veritati non solum consentanei sunt; sed ab iis tanquam fontibus magnam partem profluxerunt, ut probè agnovit plurimorum conditor sapientissimus Innocentius III. c. *Qualiter 24. de Accusat.* cuius pr. ait, *Ex auctoritatibus Veteris & Novi Testamenti Canonice Sanctiones processisse.*

ARTICULUS I.

De Summa Trinitate,
 SUMMARIUM.

1. Ratio appellationis,

2. *Et Natura Divina & increata & Trinitatis,*
3. *Creatæ exemplò adumbrata,*
4. *Et fundata in infinita Fecunditate Dei.*
5. *Error circa eam Joachimi Abbatis,*
6. *In Concilio Lateranensi IV. reprobatus,*
7. *Ejusque convulsa fundamenta:*
8. *Quin Joachimus Hæreseos sit condemnatus.*
9. *Cum erroribus tamen suis ita damnatus est Almaricus.*
10. *Error Græcorum de Spiritu Sancto damnatus in Concilio Lugdunensi II.*
11. *Ejus orti occasio & fundamentum,*
12. *Convellitur.*
13. *Ratio, cur Spiritus Sanctus procedat à Patre & Filio,*
14. *Tanquam ab uno principio, per unam Spiritationem Activam.*
15. *Error Lulli de mysterii SS. Trinitatis eidentia,*
16. *Contrarius doctrina TT. Orthodoxorum,*
17. *Mysterium illud Rationi non repugnare, asserentium,*
18. *Et variè ostendentium.*

H

Divia

1. **D**ivinam Trinitatem Summa appellatione Justinianus Imp. primâ Codicis; & præsentî Decretalium Rubricâ summi Pontifices Gregorius IX. Bonifacius VIII. & Clemens V. venerantur; quòd omni Trinitate & re alia prior, major, excellentior sit. *Quis ut Deus?* vox est Archangeli Michaelis, magni illius Divinæ Trinæque Majestatis assertoris & propugnatoris acerrimi adversus hæresin Luciferianam.
2. Est autem Summa Trinitas Ens in creatum unius Naturæ & trium Personarum, cum Natura identificatarum & inter se distinctarum. Sensus hic & Fides est Ecclesiæ Catholicæ, quâ docente in precibus Canonicis *Unum Deum in Trinitate, & Trinitatē in Unitate veneramur, non confundentes Personas, neque Substantiam separantes*, Symbol. S. Athanasii *pr.* Quam Fidei veritatem Ecclesiā desumpfit ex luculentis testimoniis Sacrarum Scripturarum, & præcipuè ex illo Joannis: *Tres sunt, qui testimonium dant in Cælo, Pater Verbum & Spiritus Sanctus: & hi tres unum sunt*, 1. Epist. cap. 5. v. 7. quia unius sunt Substantiæ, *Unum sunt & summè unum*, addit S. Augustinus *Lib. 3. contra Maximin. cap. 10.* & ex præcepto ipsius Servatoris: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti*, Matth. cap. 28. v. 19. quò loco per Nomen in Singulari Unitas Essentiæ sive Naturæ: & per distinctam mentionem *Patris & Filij & Spiritus Sancti* pluralitas Personarum increatæ Trinitatis designatur, secundum communem Interpretationem.
3. Ad arcani istius & adorandi Mysteriorum magnitudinem adumbrandam aliquid confert; quòd sanior Philosophia in Substantia rationali completa quacunque

agnoscat entitates duas, quarum una Natura, altera Personalitas nuncupatur. Unde consecutaneum planèque est; quòd, si una Natura humana tres, Petri, Joannis & Pauli personalitates sibi unitas haberet, de toto, ex istarum cum illa unione exurgente, verè diceretur, quòd sit unus homo & tres personæ. Cui simili quodam modò, Divinæ revelationis & Catholicæ Fidei magisteriò edocti, Unum Deum & tres Personas divinas, corde credimus & ore confitemur, geminò tamen & utroque maximè notandò discrimine. Unum est; quòd in toto, ex una natura & tribus personalitatibus humanis exurgente, tres personalitates humanæ realiter quidem inter se distinguerentur, non tamen simul realiter identificarentur cum Natura humana: in Deo autem tres Personæ divinæ sicut inter se realiter distinctæ, sic cum Natura divina sint identificatæ. Alterum; quòd ex tribus personis humanis nec una pater, aut filius alterius sit, nec tertia ex duabus aliis procedat; ac proinde inter eas non detur Oppositio relativa producentis & producti: in Personis autem divinis una Pater aut Filius sit alterius, & ex duabus, scilicet Patre & Filio, tertia scilicet Spiritus Sanctus procedat; ac proinde producentis & producti vel procedentis relativa Oppositio detur.

Fundamentum autem summi istius & imperferutabilis mysterii præbet; quòd Deo agentî æternò & infinito adstruenda sit operatio & fecunditas, non ad extra duntaxat per potentiam operantem in tempore, quâ *In principio creavit cælum & terram*, Genes. cap. 1. v. 1. Sive mundum hunc aspectabilem & omnia, quæ in eo sunt: Sed ad intra quoque per Intellectum & Voluntatem, quibus potentiis convenienti operandi modò ex Natura divina quasi virtualiter dimans pri-

nans prima Personalitas per intellectio-
nem genuit Personalitatem seu Personam
secundam, quæ Filius Dei & Verbum
divinum nuncupatur: & ex ipsa & Verbo
hoc, sive Patre & Filio, per Volitionem
sive Spirationem processit Persona tertia,
quæ Amor Dei & Spiritus Sanctus nuncupatur.
Quæ omnia profundissimarum speculationum & explicationum
subtilitate Theologi prosequuntur. Ad
presentem Rubricam nonnullos, ei Sub-
jectis textibus damnatos & cum Catho-
licæ Fidei Veritate pugnantes de Summa
Trinitate errores attingam: idque, ne
à propolita Humani Juris explanatione
in ipso exordio recedam, aut quàm ea
finit, longius abducatur, referendò po-
tius quàm discutendò.

5. Primus est Joachimi Abbatis mona-
sterii Florentis, negantis in Deo dari
Summam aliquam rem, quæ sit Pater
Filius & Spiritus Sanctus, sive essentiam
substantiam vel Naturam, quæ verè ac
propriè una & tribus Personis divinis
sit communis, ut Petrus Lombardus Ma-
gister Sententiarum docet 1. *Sent. dist.*
4. Ratio, quæ virum, sanctioris vitæ &
Religiôsæ observantiæ promovendæ stu-
diò eximium, in erroneum hunc sensum
deduxit, gemina & utraque speciosa
erat. Una; quòd, si revera una res
sive Natura tribus personis communis
daretur, non Trinitas, sed Quaternitas
in Deo statueretur, scilicet tres Perso-
næ, & res illa summa sive Natura quasi
quædam quarta essentia. Quam hære-
sin & insaniam, ut aiebat, evitaturus
Joachimus in Deo non admisit Unitatem,
nisi solum impropriam & quasi collecti-
vam ac similitudinariam, sicut multi ho-
mines unus populus, multi fideles una
Ecclesia sunt. Altera; quòd, cum unum
& plura, divisum & indivisum sibi op-
ponantur, imperceptibile sit, quomo-

do tres divisæ ac distinctæ Personæ una
sint Essentia seu Natura.

Eundem sensum & errorem suum
Abbas stabilire nisus etiam est authori-
tate sacræ Scripturæ, præsertim verbis
Christi Domini, pro fidelibus Patrem
rogantis, *Ut sint unum, sicut & nos, Pa-
ter & Filius, unum sumus*, Joannis *cap.*
17. v. 22. Cùm ergo, arguebat, mul-
ti homines unus populus unaque civitas,
& multi fideles una Ecclesia sint, non ve-
rè & reali, sed impropriè & morali duntaxat
unitate communionis aut Fidei, quæ
conjuncti unus populus aut civitas vel u-
na Ecclesia sunt, Pater quoque & Filius
& Spiritus Sanctus non verè ac propriè,
sed impropriè tantùm, una Essentia sive
Natura erunt, per Unionem Charitati-
tis.

Sed, hoc Joachimi dogmate con-
demnatò, ab Innocentio III. in Concilio
Lateranensi IV. Dominicæ Incarnatio-
nis anno 1215. in spiritu S. legitime
congregato, laudati Sententiarum Magi-
stri de Summa Trinitate doctrina est ap-
probata, ut latè refertur *c. fin.* Cujus
proinde sententiæ & Orthodoxæ veritati
inharendum & firmiter tenendum est,
unam veram & simplicissimam Essentiam
esse Patris & Filii & Spiritus Sancti:
quæ, cùm his tribus Personis communis
sit, in Deo Trinitas duntaxat, non Qua-
ternitas datur; quia tres Personæ una
eademque & individua res sunt: & di-
stinctio tantùm est in Personis & proprie-
tatibus Personalibus, ut sunt *generare,*
generari, procedere; quia essentia divina
nec generat, nec generatur, nec procedit;
sed Pater generat, Filius generatur
& Spiritus Sanctus procedit.

7. Neque Catholico huic sensui relata
Christi ad Patrem Oratio officit; quia,
cùm inter creaturam & Creatorem simi-
litudo tanta esse non possit, ut dissimili-
tudo

tudo major non sit, dictione sicut non similitudo perfecta & unitas, sed aliquis tantum proportio denotatur, ut Verborum, *Ue sint unum, sicut & nos sumus*, sensus sit, ut fideles unum sint per Unionem Charitatis in gratia, sicut nos, Pater & Filius & Spiritus Sanctus, unum sumus per Unionem identitatis in Natura. Quò ferè sensu Christus discipulis suis ait, *Ehote perfecti, sicut & Pater vester celestis perfectus est*; his enim verbis discipulos suos perfici voluit perfectione gratiæ, sicut Pater Cælestis perfectus est perfectione Naturæ: quo modo illos Patri suo cælesti similes esse voluit Christus eâ perfectione, quæ ipsis conveniret. Ita Patres Concilii Lateranensis *c. fin. cit. V. Cum ergo* textum utrumque exponunt. Ex his soluta est Abbatis ratio prior.

Posterior quoque speciosa magis, quàm solida est; quia Essentia sive Natura divina, licet in se una & simplicissima sit, plura tamen est virtualiter & æquivalet pluribus realiter distinctis, hoc ipso; quòd identificetur tribus Personis divinis, quæ unus Deus, sive una & indivisa Essentia seu Substantia sunt. Quare Oppositio relativa datur inter solas Personalitates: non inter has & Essentiam divinâ; cum illæ ab ista non distinguantur actu sive re, sed ratione ratiocinata, sive nostro modo intelligendi & ratione, ut cum PP. Concilii Florentini *Sess. 14. loquitur S. Thomas 1. p. q. 28. art. 2. in C. quòd Antonius de Butrio in c. fin. cit. n. 4. declarat* exemplò Ternarii duo & tria complectentis, quin dentur quinque; quòd duo tribus insint.

S. Quantumvis autem relatum dogma, tanquam Orthodoxæ Fidei inimicum, reprobatum sit, ejus tamen Author Joachimus Hæreseos condemnatus non fuit; quòd Hæresis sit error Fidei conjunctus cum pertinaciâ. *Clement. Unio.*

§. Porro ibi, *Quisquis tenere pertinaciter præsumpserit, & can. Dixit 24. q. 3. ubi Glossa V. Pertinaci ait, Licet teneat aliquis ea, quæ sunt contra Fidem, dummodo paratus sit corrigere, Hæreticus non est*: Joachimus autem dogmati suo pertinaciter non inhæserit: quin potius Scripta sua cum illo Sedis Apostolicæ judicio &, sicut approbationi, sic etiam correctioni humiliter subjecerit, adjectâ & manu propria subscriptâ confessione, *Se illam Fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, cum sanctorum Fidelium mater & magistra veritatis, c. fin. cit. V. In nullo.*

Secundò, in eodem Concilio Generali à memorato Innocentio Papa, reprobatum est Dogma Almarici, natione Galli, patriâ Carnotensis: qui, cum à minis sanæ Philosophiæ ad Sacrum Theologiæ studium translatus, ob erroneum de Christi corpore & membris sensum jussu Apostolico fuisse damnatus, ex probro concepti doloris impatientiâ non multò post infelicem animam egit. Cum ipso tamen non exinctæ, sed in Sectatoribus superstites, & cum auctario propagatæ fuerunt omnino abominandæ hæreses aliæ; nam & in Eucharistiæ Sacramento Transubstantiationem, & humanorum corporum Resurrectionem impiè negabant. Beatorum Cælitum cultum & invocationem redarguebant Idololatriæ. De Paradiso & Inferno sic delirabant, ut utrumque assererent esse in ipso homine; illum, si imbutus cognitione Dei: istum, si lethali peccato infectus esset. Sic Deum in Ovidio, sicut in S. Augustino locutum, aiebant. Si Adam non peccasset, sexus inter homines ullam distinctionem non futuram, sed homines Angelorum instar multiplicandos fuisse, impudenter adstruebant. De tribus Personis Divinis ita insaniebant, ut æterni Patris potestati-

testatem non porrectam ultra Legem
Mosaicam: à Filio promulgatum Testa-
mentum Novum cum Sacramentis omni-
bus finem a vo suo jam accepisse, & in
cepisse docerent tempus Spiritus Sancti:
cujus hominum cordibus infusi gratiam
& Charitatem sic attollebant; ut ejus
beneficiò homines sine actu exteriori sal-
ventur, & adulteria, fornicationes & fla-
gitia quævis committant sine peccato.
Dominum Deum bonum duntaxat, non
etiam justum prædicabant. Quibus ali-
isque ejusdem farinae insaniis, Guarini
cujusdam, se asseclam fingentis, operâ
protractis in lucem, Almarici Sæclatorum
complures per sententiam addicti rogo,
eorumque magistri & Novatoris perni-
tiosissimi exhumata ossa igni concremata
& cineres in ventum sparsi sunt, ut ex
Rigordo de Gestis Philippi Franc. Reg.
& Cæsario Lib. 25. cap. 22. refert Odo-
ric Rainald. ad annum Christi 1209. n.
28. Ne etiam pestilentissimi errores
facile repullularent, in Concilio Latera-
nensi IV. non multis post annis coacto,
Innocentius III. à Joachimo Abbate ad in-
venti de SS. Trinitate erroris proscriptio-
ni subjunxit Almaricianæ impietatis con-
demnationem c. *Damnatus* 2. & *sin.*
cujus finalia verba sunt, *Reprobamus*
etiam & condemnamus perverissimum
dogma impij Almarici, cujus mentem
sic pater mendacii excecavit, ut ejus do-
ctrina non tam hæretica censenda sit
quàm insana. Dogma tamen hæresiar-
chæ, sive ipsius errores in specie c. *cit.*
expressi à Papa non sunt; fortassis, ut
Hostiensis existimat, propter reverentiam
aliquorum ejus quondam discipulorum,
qui in Sacro Concilio fuere præsentis.
Illorum tamen aliquos in c. *cit.* Joann.
Andr. n. 36. & cæteros quoque exhi-
bet Directorium Inquisit. p. 2. q. 7.

Tertius error est Græcorum,

Summæ Trinitatis Personam tertiam,
scilicet Spiritum Sanctum à Filio proce-
dere insipientium, contra sensum Ecclē-
siæ Romanæ: cujus autoritate, Spiritum
Sanctum à Patre Filioque procedere, defi-
nitum est in Concilio Lugdunensi II. sub
Gregorio X. anno Christi 1274. celebra-
to & relato c. *Unico in 6.* Imò pluri-
bus seculis ante Concilium hoc, & antè
Schisma sive avulsionem Ecclēsiæ Græcæ
à Latina; cum iam in Concilio Ephesino,
sub annum Domini 431. celebrato, S.
Cyrillus Episcopus Alexandrinus, qui ei
Cælestini I. Romani Pontificis nomine
præfederat, docuerit scripseritque, Spi-
ritum Sanctum à Filio similiter, sicut à
Patre, procedere, ut *can. De Spiritu*
39. dist. 5. de Consecrat. refertur: Theo-
doretus verò, qui Cyrillum, Epistolâ
pro Nestorio conscriptâ, initio impugna-
rat, non nisi post actam Poenitentiam &
Nestorianam hæresin ejuratam receptus
in gratiam & Sedi suæ Episcopali restitutus
fuerit à PP. Concilii Calcedonensis
sub Leone M. Dominicæ Incarnationis
anno 451. celebrati, Azor p. 2. *Instit.*
Lib. 5. cap. 16. §. In hoc.

Ei autem Græcorum errori ansam II.
præbuere ejusdem Servatoris nostri ver-
ba, *Mittam vobis à Patre Spiritum Ve-*
ritatis, qui à Patre procedit, Joan. cap.
15. v. 26. Unde pro errore suo contra
Cyrillum argumentum conficiebant, as-
sumptâ doctrinâ ipsiusmet Cyrilli: cujus
Cathechesi 16. verba sunt, *Dicamus de*
Spiritu Sancto ea tantum, quæ scripta
sunt. Si quid autem scriptum non est,
curiosè non scrutemur. Ipse Spiritus san-
ctus elocutus est scripturas. Ipse de se
ipso dixit, quantum voluit, quantum sui-
mus capaces. Quæ ergo ille non dixit, nec
nos audiamus. Atqui, subijciebant,
Spiritus sanctus apud S. Joannem de se
ipso tantum dixit, *Qui à Patre procedit,*
omissâ

H 3

omissâ mentione Filij. Ergo Spiritum sanctum à Filio processisse, nec dicamus, nec audiamus. Ita & in speciem solidè Græci. Sed in speciem tantum, & non audientes vel ponderantes antecedentia verba, *Quem ego mittam vobis*; cum enim filius non mittat, nisi à se procedentem, sicut Pater non nisi à se procedentem misit: & Pater, quod à Filio & Spiritu sancto non procedat, à Filio & Spiritu sancto mitti non possit, Spiritum sanctum, quem etiam Filius misit, ab isto quoque processisse, est necesse.

12. Quare verba, *Qui à Patre procedit*, non sunt exclusiva Filij; cum enim Christus non dixerit, *Qui à solo Patre procedit*, istius personæ expressione suam Filius non exclusit, ut cum S. Anselmo *Lib. de Process. Spiritus sancti* notat Toletus in *Joan. cap. 15. cit. annot. 25.* Neque suam potuit excludere; cum, quia Filius Spiritum sanctum vocat *Spiritum Veritatis, cit. V. 26.* id est, suum, sive à se quoque procedentem; nam ipse *Veritas est*, inquit Cyrillus *Lib. 10. in Joan. cap. ult. & Epist. 10.* Unde etiam Spiritus sanctus *Spiritus JESU, Actor cap. 16. v. 6.* & à S. Paulo *Spiritus Christi, Roman. cap. 8. v. 9. & Spiritus Filij Dei, Galat. cap. 4. v. 6.* nuncupatur. tum vero propter verba, *Omnia, quaecumque habet Pater, mea sunt, Joan. cap. 16. v. 15.* quibus omnia, quæ habet Pater (& Filiationi non repugnant; ac proinde solè Paternitate, non etiam Spiratione Activâ, exceptâ) etiam Filium habere ex Concilio Florentino *sess. 18. circa pr. & S. Augustino Lib. 5. de Trinitate cap. 14.* ostendit Suarez *de Mysterio Trinit. Lib. 8. cap. 2. d. n. 2. & Lib. 10. cap. 1. n. 6.*

13. Ratio autem, quâ Latini Patres contra Græcos argumentabantur, ea præcipuè fuit; quod si Spiritus sanctus non procederet à Filio, non distingueretur à

Filio. Cujus ulterior Ratio est; quia unica & adæquata Ratio distinctionis inter Filium & Spiritum sanctum istius ab illo processio est; cum in Deo indistincta & unum sint omnia, in quibus Originis oppositio non reperitur, secundum receptum axiomata TT. & Confessionem Concilij Toletani XI. cujus articulus est: *Ea, quæ in relationibus Personarum enumerantur, hoc solò numerum faciunt, quod sunt ad invicem.* In eandem rem præclara sunt testimonia SS. Dionysij Areopagitæ & Ecclesiæ Doctoris Augustini: quorum ille sanctos suos in rebus Theologicis instructores (ipsimet Apostoli fuere) distinctiones divinas appellasse *Præclaras Divinitatis processiones, Lib. de Divinis nominibus cap. 10.* ille verò ait, non esse aliam aliquam causam, quæ in Deo divisionem faciat Personarum, *Nisi quod hic ingenuus, ille genitus &c. sit, serm. 58. de Verb. Dom. secundum Joannem.* Cum ergo, si Spiritus sanctus à Filio non procederet, Originis oppositio in ijs non daretur, Spiritus sanctus à Filio, si non procederet, non distingueretur: nec duæ, sed una duntaxat Persona forent. In cujus Rationis vi, sicut enervanda cum nonnullis Scotus *in 1. dist. 11. q. 2.* sic adversus istius subtilitates tuenda, exacuendaque cum SS. Doctoribus Angelico *1. 2. q. 36. art. 2. & 4. contra Gentes cap. 29. & Seraphico dist. cit. q. 2. art. 1.* Utriusque Scholæ & præcipui nominis TT. mirâ explicationum varietate hodièque laborant.

14. Quartus de summa Trinitate error est eorundem, docentium; quod, si Spiritus sanctus à duabus Personis Patre & Filio procedat, consuetaneum sit, Spiritum sanctum ab ijs, tanquam à duobus principiis & duabus spirationibus, procedere. Sed hæc quoque ipsorum illatio *c. Unico cit. damnata*, definitimque est, *Spiritus Sanctum*

sanctum aeternaliter, non ex una tantum, sed duabus Personis ex Patre & Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio: non duabus Spiracionibus, sed unica Spiracione procedere. Ratio seu declaratio Conciliaris definitionis est, quod Spiritus sanctus non procedat à Patre & Filio, quatenus sibi invicem relativè opponuntur, sive à Patre quia Pater: & à Filio, quia Filius est, sed quatenus uterque est Spirator, & habet unam eandemque potentiam seu virtutem Spirativam, quam ab aeterno Pater Filio communicavit. Quare unum tantum principium, & una tantum Spiratio est, quæ Spiritus sanctus à Patre Filioque procedit. Atque ita etiam sentiunt PP. Concilij Florentini, quorum definitiva assertio est: Spiritus sanctus per se neque ad Patrem neque ad Filium refertur, quatenus Pater & Filius sunt; spiritum enim ut spiritum ad Spirantem referri oportet: Spirantes autem sunt Pater & Filius; Patris namque & Filij, Spiritus est. Spirant ergo isti Spiritum sanctum unam Spiratio à seu productivâ potentia, sess. 21. Eodem sensu S. Thomas, Spiritum sanctum à Patre per Filium procedere docet 1. p. q. 36. art. 2. dum ejus Processionis Rationem reddit; quia non solus Pater, sed una cum Filio, virtutem spirandi ab eodem Patre communicatam habente, spirat Spiritum sanctum, Suarez de Mysterio SS. Trinit. Lib. 11. cap. 4. à n. 5. Tannerus 1. p. disp. 4. q. 4. dub. 5. n. 21. & Pirthing ad hanc Rubr. n. 13.

15. Quintò, vanitatis arguitur Error Raymundi Lulli, qui inter cætera erronea dogmata jaclanter asserere ausus perhibetur, SS. Trinitatis mysterium à se demonstrationibus ita evidentibus probari, ut, si ad eas attendere, easque penetrare valeret ac vellet, etiâ Pagonus & Machu-

metanus convinceretur: atque idcirco Fidem rudibus duntaxat & imperitis necessariam: non etiam habentibus intellectum elevatum; quòd homo subtilis faciliùs trahatur per Rationem, quàm per Fidem. Cujus jaclantiæ temeritate quàm à Christianæ demissionis & Catholice Veritatis semita procul recesserit, Innocentius III. in memorato Concilio Lateranensi, licet Lulliani istius erroris non meminerit & meminisse nondum nati non potuerit, luculenter ostendit c. 1. & c. fin. cit. Deum Unum & Trinum Incomprehensibilem & Ineffabilem appellandò, eodem ferè sensu, quò Verbo incarnato Christo Domino coævus S. Dionysius Areopagita, illud Summa omniaque sperantis Divinitatis, Dei Unius simul ac Trini, arcanum rationem omnem mentemque vincere, de Divinis Nom. cap. 13. & S. Justinus M. nullò modò nos posse ad Divinam essentiam, nec ad ejus mysteria penetrare, in Expositione Fidei de Trinitate, docuerunt.

Quare cum Sanioris Theologiæ Schola universa statuendum, firmiterque tenendum est, summæ Trinitatis mysterium ullâ ratione humanâ evidenter & efficaciter probari non posse: quin, nullâ omnino revelatione præcedente, id nec per conjecturam aut suspensionem ullam in mentem homini venturum, verisimiliùs censent cit. Suarez Lib. 1. cap. 11. n. 21. Vasquez in 3. p. disp. 132. n. 5. & Tannerus cit. disp. 4. q. 1. dub. 2. n. 9. Ratio perspicua est; quia mysterium hoc intellectui humano neque immediatè sive ipsâ solâque apprehensione terminorum, Unitas, Natura & Trinitas Personarum: neque etiam mediatè, sive per discursum evidenter aut etiam probabiliter innotescit; cum istius prima principia, Quacumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, & Quacumque distinguun-

tur in uno tertio, distinguuntur inter se, eò modò, quò ex rerum creatarum cognitione possunt, apprehensa ad Personarum in Unitate Naturæ Trinitatem negandam potius, quàm affirmandam inclinent; quòd mysterium SS. Trinitatis identificata cum tertio sine identitate inter se: & distincta in tertio sine distinctione inter se comprehendat. Unde non immeritò istius, humanò intellectu imperferutabilis mysterij profunditate absorptus Doctor mellifluus in has voces prorupit, *Sacramentum hoc magnum est & quidem venerandum, non scrutandum, quomodo pluralitas in Unitate aut ista in pluralitate? scrutari hoc temeritas est: credere pietas est: nosse vita, & vita æterna est, Lib. 5. de Considerat. cap. 8.*

Neque à temeritate Lullum ullatenus exulat; quòd summæ Trinitatis Mysterium mandarint literis, & libris suis insertum posteritati reliquerint Philosophi quidam Gentiles; quia non luminis naturalis aut ratiocinationis ductu: sed ex lectione Librorum Moysis, ex Oraculis Sybillarum & Apollinis Delphici aliorumque idolorum responsis comparatam arcani mysterij notitiam libris suis inferuerunt; quòd, licet intellectu suo sublimius mysterium non penetrarent, ea tamen, quæ de isto lectione vel auditu perceperunt, Veritati consentanea esse forsitan posse, relatuque digna existimarent; quantumvis cognitæ ac relatæ veritatis rationem certam non assequerentur.

17 Quamobrem Doctorum, de summa Trinitate rectius sentientium, præcipuus labor non tam fuit in investiganda ratione Naturali, quàm ejus mysterium demonstrarent, quàm ut ostenderent, ejus veritatem, licet humanò intellectu imperferutabilis & ineffabilis sit, rationi

tamen illi non repugnare: & quòd à prima, fallique & fallere nefcia Veritate revelatum sit, assensum Fidei firmissimum mereri.

Præstitère autem id conatu non infelici, imprimis ostendendò, persuasum nobis esse oportere, Intellectum & Voluntatem divinam, ob infinitam perfectionem suæ Bonitatis, modò quodam infinito & nostri intellectus captum superante, esse fecundos: Deoque per revelationem loquente nosque instruente addisci plus posse, quàm à natura insite rationis ductu usque investigare & assequi valeamus; cum creatarum etiam potentiarum vis ac fecunditas captu nostro major non raro sit: & humanò magisterio sæpe discamus, quæ proprii intellectus perspicaciæ nunquam attingeremus. Deinde increatæ Trinitatis vestigia quædam & imagines exhibendò in rebus creatis, cum ipsa sic congruentibus, ut licet ob imperfectionem suam ejus mysterium adumbrent potius quàm verè representent ac demonstrent, intellectum tamen humanum ad faciliorem ejus apprehensionem quasi manuducant, & ad præstandum divinæ revelationi assensum disponant. Et demum summum hoc Fidei nostræ arcanum cum relatis humani discursus principijs conciliandò: quòd olim hodieque viriliter præstitère Scotistæ cum subtili Doctore suo 1. dist. 2. q. 7. excogitatâ inter Naturam sive Essentiam divinam & Personalitates distinctione, quàm dicunt *Formalem ex natura rei*: S. Thomas 1. p. q. 28. art. 3. ad 2. & 3. ejusque sectatores permulti auxiliò distinctionis rationis, aliquam relationem importantis: alii admittâ inter easdem distinctione, quàm Virtualemente intrinsecâ appellant. Alii, aliis aliisque distinctionibus & explicationibus ingeniosè inventis, Quarum de summo maximeque anno

Ortho-

Orthodoxæ Fidei Myſterio Sententiarum juſtam declarationem, oppugnationemque & vindicationem profundis ſpeculationibus Theologi ex officio ſuo proſequuntur.

ARTICULUS II. De Fide Catholica.

SUMMARIUM.

19. Fides alia Humana, alia Divina,
20. Et hæc vel Privata, vel Catholica,
21. Et ad ſalutem homini neceſſaria eſt.
22. Præcipua Catholica Fidei myſteria ſunt SS. Trinitas,
23. Verbi Divini Incarnatio,
24. Acerbiſſima Paſſio & Mors:
25. Ejus adventus in Judicium & Reſurrexio mortuorum:
26. Euchariſtia, Baptiſmus cum cæteris Sacramentis:
27. Unitas & authoritas Eccleſiæ Catholica:
28. Cujus doctrina firmiſſimè inherendum.
29. Fides rurſum alia Habitualis, alia Actualis:
30. Alia Explicita, alia Implicita eſt.
31. Ad ſalutem neceſſaria quadam dicuntur Medijs, alia Præcepti neceſſitate.
32. Priori modo Habitualis omnibus:
33. Ratione verò utentibus neceſſaria etiam eſt Fides Actualis,
34. Saltem, quòd Deus ſit, & Remerator ſit.
35. Explicita fides SS. Trinitatis & Incarnationis, non Medijs:
36. Sed Præcepti neceſſitate neceſſaria eſt.
37. Sicut & notitia Symboli Apoſtolorum,

38. Et aliorum Fidei dogmatum,
39. Saltem quoad ſubſtantiam.
40. De ſcientia rerum Fidei Parochijs,
41. Et Episcopis neceſſaria.

Fidei nomen ſumitur variè; ali-
quando enim denotat fiduciam:
aliquando promiſſionem, aut fi-
delitatem ſeu conſtantiam in pro-
miſſione obſervanda: aliquando bonam
Conſcientiam. Hòc locò accipitur pro
myſterijs, ſive rebus credendis: & pro
habitu vel actu intellectus, quò illis no-
bis propoſitis aſſentimur. Hoc ſenſu
& generatim accepta Fides, vel Humana
vel Divina eſt: prout hominis vel Dei nobis
loquentis dictis aut revelationibus pro-
pter ejus authoritatem aſſentimur, Lai-
man. *Theolog. Moral. Lib. 2. tract. &*
cap. 1. n. 2.

Authoritas autem illa, quæ move-
mur ad aſſentiendum, eſt nobis loquen-
tis Veracitas ſive infallibilitas, tam in co-
gnoscendo quàm in loquendo; cum, ſi eum
rei, de qua loquitur, non habere ſcien-
tiam, vel de ea aliter, quàm ſcit, loqui;
ac proinde circa eam falli, aut fallere
nos velle, judicemus, ejus loquentis di-
ctis non aſſentiamur: & contrà, ſi eum
rei ſcientiam, de eaque ſecundùm hanc
loquendi voluntatem habere judicemus,
ejus dictis aſſentiamur: tantòque aſſen-
tiamur firmiùs, quantò magis eum eſſe
Veracem, ſive certiorẽ & minùs falli-
bilem rei ſcientiam, & ſecundùm hanc
nobis loquendi firmiorem voluntatem
habere, exiſtimamus.

Ea ergo Veracitas cum in Deo, qui
prima fallique & fallere neſcia Veritas eſt,
inſinita ſummæque ſit, ejus locutio, ſive
aliquid nobis manifeſtantis revelatio om-
ni humana locutione majorem, & firmiſ-
ſimũ aſſenſum meretur, juxta illud Apo-
ſtolicum, *Si teſtimonium hominum acci-*
pimus,

pimus, testimonium Dei majus est, 1. Joan. cap. 5. v. 9. & alterum S. Basilij asserentis, majorem auctoritatem fidemque debere verbis Domini, quam ulli quantumvis certissimæ animi nostri expletioni.

20. Porro Divina etiam Fides non omnis Catholica est; cum, si Deus alicui soli revelaret extremi judicii diem, vel successionem in Ecclesia vel Principatu, revelationi, propter summam Dei per eam loquentis auctoritatem, præstitus assensus firmissimus, Fides quidem Divina, sed non Catholica foret; quia talis Fides est, & dicitur sola Universalis totòque orbe diffusa, ut est Christiana Fides Ecclesiæ Romanæ: quæ propterea sola Catholica nominatur, teste S. Augustino *Lib. de Vera Relig. cujus cap. 7. Tenenda, inquit, est Christiana Religio & ejus Romana Ecclesiæ communicatio, quæ Catholica est & Catholica nominatur non solum à suis, sed & ab omnibus inimicis.* Unde etiam ejus subditi fideles Christiani Catholici vocantur, *1. 1. §. 1. C. de summa Trinit. & hoc nomine plusquam octuagies veniunt in Instrumento Pacis Monasteriensis, cæteros A catholicos appellante. Neque hoc injuriâ; quia Romana & Catholica Ecclesiæ Fides sola à Christo propagata ad nostra usque tempora, totòque Orbe prædicata; ac proinde Catholica nomen sola promerita est; cum, ut Vincentius Lirinensis ait, *Propriè verèque Catholicum sit tenere, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est, Lib. contra Hæreses cap. 3.**

21. Fides hæc Catholica homini ad salutem ad eam necessaria est, ut à Concilij Tridentini PP. esse dicatur *Humana salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis, Sess. 6. cap. 8. de Justificatione; cum sine ipsa impossibile sit placere Deo, ad Hebræos cap. 11. v. 6. & ad filiorum Dei consortium pervenire,*

cap. 8. cit. & can. 9. Quæ causa est, cur jam ante sacram Synodum illam Gregorius IX. in sua Decretalium compilatione Canonicis sanctionibus omnibus præmiserit Catholica & Orthodoxa Fidei explicationem, ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi IV. Anno à Nativitate Domini 1215. celebrato, concinnatam *c. 1. & c. fin.* quibus textibus.

22. Imprimis explicatur mysterium SS. Trinitatis, tanquam præcipuum Fidei Catholicae objectum; hanc enim quicumque profitentur, Deum, qui rerum omnium principium ac finis est, in Natura unum & trinum in Personis confitentur cum Ecclesia Catholica: quæ divinitus illustrata, SS. Trinitatem secundum Naturam sive communem Essentiam unam & individuum, secundum Personalitates distinctam esse, & *Patrem generantem, Filium ejus Unigenitum, & Spiritum sanctum ab utroque, Patre & Filio, (tanquam uno principio & unica spiratione, c. Unico in 6. procedentem complecti, docet c. 1. & c. fin. cit.*

23. Deinde *c. 1. cit.* declaratur Filij, ab æterno geniti à Patre, altera Nativitas: quæ is in tempore propter nostram salutem de cælo descendit, & Divinam cum Humana natura conjungens, incarnatus de Spiritu sancto ex Maria Virgine & homo factus est, prout etiam in Concilio Viennensi definitum refertur *pr. Clement. Unica*: cujus §. Porro insuper, tanquam erronea & Orthodoxa Fidei veritati inimica, damnatur doctrina negantium aut in dubium trahentium, quod substantia animæ Rationalis verè ac per se humani corporis sit forma: &, qui eam hoc negantium opinionem pertinaciter tenere præsumperint, hæreticis accensentur.

24. Tertio *c. 1. cit.* refertur Christi acerbissima in ligno Crucis Passio & Mors, glo-

Mors, gloriosa ejus Resurrectio & Ascensio in cælum, Ejusdem Passionis ac Mortis meminit etiam *Clemens cit. pr.* unaque approbat ordinem narrationis S. Joannis Evangelistæ *cap. 19. v. 21. & 24.* referentis, Christo post spiritum traditum, jamque mortuo ab uno militum lanceâ latus apertum, contra nonnullorum, eam narrationem temere pervertentium, errorem.

25. Quartò proponitur ejus adventus in Judicium & resurrectio mortuorum, quibus Christus Dominus secundum operum suorum merita pœnam perpetuam redditurus est, aut gloriam sempiternam.

26. Quintò agitur de sacrificio Missæ, in quo sacerdos est idem ipse, qui immolatur, JESUS Christus, cujus corpus & sanguis in eo Altaris Sacramento sub panis & vini specie veraciter continetur: uti & de Sacramentis Baptismi ac Pœnitentiæ: quorum prior in forma Ecclesiæ consueta à quocunque ritè collatus, non solum adultis, sed parvulis quoque ratione, nondum utentibus, proficit ad salutem: quòd etiam à sacra Synodo Tridentina definitum est, *sess. 5. Decreto de Peccato Originali & sess. 7. can. 13. & 14. de Baptismo*: posterioris autem beneficii reparantur, qui post susceptionem Baptismi prolapsi fuerint in peccatum, *c. 1. cit. §. Una V. Etsi & Trident. sess. 14. can. 2.*

Sextò defenditur status Conjugalis; quòd non solum virgines & continentés, sed conjugati quoque per fidem rectam & operationem bonam placentes Deo, ad æternam mereantur beatitudinem pervenire, *c. 1. cit. in fine.*

27. Denum eòdem *c. §. Una verò* traditur doctrina de Una fidelium & Universali Ecclesia: extra quam, sicut nullus omnino salvatur, sic qui eandem cum ipsa fidem corde, ore &

opere confitentur, periculum non est, ne à veritatis & vitæ æternæ semita aberrerent; cùm *Ecclesia illa, disponente Domino, cunctorum fidelium Mater sit ac Magistra, c. fin. cit. ad finem*: de eaque clarissimum Ecclesiæ lumen & Doctorum maximus S. Augustinus disertè asserat, *Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholice commoveret Autoritas, Tomo 6. contra Epistol. fundament. cap. 5.* Quod S. Doctoris pronuntiatum, ut primo occurfu difficile appareat, Orthodoxum tamen omnino est, maximèque nititur ratione; cùm enim in Evangelio & aliis scripturæ sacræ Libris contentis propositionibus ac sententiis, tanquam Verbo Dei scripto, credi assensu Fidei firmissimò non possit: nisi eum, quò continentur, verè Evangelicum, aut alium Scripturæ sacræ & incorruptæ editionis librum esse, certò & infallibiliter constet: eum autem, quò continentur, verè Evangelicum aut alium sacræ Scripturæ & editionis incorruptæ librum esse, certò & infallibiliter non constet, nisi Ecclesiæ Catholice id docentis magisteriò & definitis Autoritate, Orthodoxè omnino S. Doctor, cum eòque Orthodoxi omnes, Evangelio eòque aut aliò sacræ Scripturæ librò comprehensis propositionibus ac sententiis, tanquam Verbo Dei Scripto, non credunt, nisi eruditi magisteriò & còmoti Autoritate id docentis ac definitis Ecclesiæ: quæ *Columna est & firmamentum Veritatis, 1. Timoth. cap. 2. v. 15.* propter specialem assistentiã sancti Spiritus Veritatis, à Christo Domino, sponso & capite suo, ipsi luculenter promissam *Joan. cap. 14. cujus v. 16. Ego, inquit rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis; ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum Veritatis qui, cùm venerit, dabit vos omnem Veritatem, Joan. cap. 16. v. 13.* Unde ejusdem S. Doctoris altera senten-

sententia & adhortatio est, *Lingua multe contradicunt veraci doctrinae. Tu Ecclesiam Catholicam tene: à Regula veritatis noli discedere, in Psalm. 30. Con. 3.* quia, ut non minus præclare S. Irenæus, *ubi Ecclesia, ibi & Spiritus Dei: & ubi Spiritus Dei ibi & Ecclesia: Spiritus autem veritas est, Lib. 3. adversus Hæres. cap. 4.* Quam de hac Ecclesiæ autoritate veritate Theologi, præsertim Polemici, divinorum Oraculorum & alij SS. PP. ac DD. testimoniis tam multis luculentisque, tamque perspicua & in summae credibilitatis motivis fundata Ratione confirmant; ut ad cujusvis, aliunde non præoccupati hominis intellectum plenè convincendum, efficacius aliquid prudenter nequeat desiderari.

28. Quare firmissima fide tenenda sunt non solum hæcenus relata, & ex Conciliis Lateranensi, Lugdunensi ac Viennensi à Gregorio IX. Bonifacio VIII. & Clemente V. præsentis Rubricæ subiecta: sed generaliter quæcunque ab Ecclesia Catholica, in ipsdem aut alijs in Spiritu sancto legitime congregatis & capiti suo unitis Concilijs generalibus, novissimæque in sacra & Oecumenica Synodo Tridentina, & extra ea Apostolicâ & Christi in terris Vicariâ Authoritate definita & declarata, tanquam Mysteria & Veritates divinitus revelatæ, Universis fidelibus credenda proponuntur: & contra damnanda reiiciendaque quæcunque ab eadem Ecclesia in aut extra Concilia illa, tanquam erronea & à Deo revelatis Veritatibus inimica dogmata, damnantur ac reiiciuntur. Quorum omnium ac singulorum iusta explicatione vindicationeque adversus hæreticam pravitatem Scholæ Theologicæ relicta, præsentis Rubricæ ternas de ijs dubitationes practicas atextere juvat.

Prima est, an & quorum ex relatis

Catholicæ Fidei Mysterijs Fides Actualis medium ad æternam salutem consequendam homini necessarium sit. Cujus resolutioni

Præmittenda imprimis est partitio 29. gemina Fidei, Una in Habitualem & Actuaalem: quarum illa à Deo infunditur in Baptismo, & in omnibus Christi fidelibus, etiam ad alia cogitatione distractis ac dormientibus, in infantibus & amentibus reperitur ac permanet, donec per peccatum Infidelitatis, sive actum Fidei divinæ formaliter oppositum excludatur: ista verò ac transiens in actu intellectus sive istius assensu, Fidei articulis sive mysterijs à Deo revelatis propter summam Dei revelantis auctoritatem præstitò, consistit, Laiman *Lib. 2. Theolog. Moral. tract. 1. cap. 8. n. 1.* Altera in Explicitam & Implicitam: quarum illa quis uni vel pluribus Fidei Catholicæ veritatibus, *vg. Deum in Natura esse unum & trinum in Personis, Verbum divinum incarnatum, dari mortuorum resurrectionem,* in se ipsis & expressè propositis, propter summam Dei loquentis auctoritatem assentitur: ista verò huiusmodi veritatibus, non in se ipsis & expressis, sed in alio, in quo virtute continentur, explicitè credito, *vg. propter eandem Dei loquentis ac revelantis auctoritatem affirmandò vera esse, quæcunque Ecclesia Catholica credenda proponit, quis assentitur, ut rem hanc explicant Archidiaconus in can. 1. dist. 15 n. 7. Azor p. 1. Instit. lib. 8. cap. 7. in fine Sanchez Lib. 2. Moral. cap. 2. n. 2. & Laiman cit. cap. 8. n. 1.*

Deinde discrimen inter geminam necessitatem, Unam Medii, alteram Præcepti: quarum priori sive Medii necessitate homini ad salutem, necessaria dicuntur ea, quibus, licet omnino inculpabiliter, destitutus secundum ordinariam Dei provi-

providentiam salvari non potest: sicut Baptismus reipsa susceptus necessarius est infantibus & aliis carentibus usu rationis: adultis verò idem &, si post Baptismum in peccatum mortale actuale lapsi sint, etiam Poenitentiae Sacramentum, si non reipsa saltem in voto seu desiderio, susceptum. Posteriori verò si ve Præcepti necessitate ad salutem necessarium est id, quod exequi quis tenetur solum ex præcepto; ut, licet id culpabiliter omittens salvari nequeat, salutem tamen consequi valeat, quando id sine culpa propter ignorantiam vel exequendi impotentiam omisit: sicut v. g. bona injustè parta detinentibus ad salutem consequendam necessaria est restitutio; quantumvis enim sine ista Salvari nequeant, quando eam facere possunt & nolunt, salvari tamen sine ea possunt, quando restituendi obligationis habent ignorantiam, vel re aliena perempta non habent, unde præstent ejus æstimationem, Sanchez *cit. cap. 2. n. 1.* & Laiman *n. 2.* His præmissis

32. Proposita dubitatio non procedit de Fide solum Habituali, quæ à Deo infunditur in Baptismo; hanc enim omnibus, etiam infantibus & amentibus, secundum Legem Dei ordinariæ esse medium ad consequendam salutem æternam necessarium, omnino exploratum est ex S. Synodo Tridentina *Sess. 6. cap. 7. de Justificatione*, Baptismum vocante *Sacramentum Fidei* (saltem Habituali) sine qua nulli unquam contigit justificatio: & *Sess. 7.* definitivè pronuntiantis, *Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit. can. 5. de Baptismo.* Sed de Actuali: de qua acceptæ dubitationis

33. Catholica resolutio est, adultis & ratione plenè utentibus omnibus ad salutem necessitate Medii necessariam esse a-

aliquam fidem Actualem, ut colligitur ex Verbis, *Qui non crediderit, condemnabitur*, Marci *cap. 16. v. 16.* & ex doctrina S. Gentium Doctoris & Apostoli ad Hebræos *cap. 11. v. 1.* ubi Fides inquit, *est sperandarum substantiarum rerum*, hoc est, sperandæ salutis fundamentum; hinc enim *v. 6.* subdit, *Sine fide impossibile est placere Deo.* Ratio est; quia ejusmodi adultus non justificatur, nisi justificationem speret, doleat de peccatis, & Deum super omnia diligat, saltem virtualiter, ut ex ejusdem S. Concilii *Sess. 6. cit. cap. 7.* constat: quæ omnia Fidem præsupponunt, Suarez *de Fide disp. 12. s. 2. n. 5. cit.* Sanchez *n. 3. & 4.* & Laiman *n. 3.*

In speciè autem adultis rationis 34. usa prædicit Medium ad salutem necessarium est, ut explicitè credant *Deum esse & esse Remuneratorem* sive, ut D. Thomas loquitur, Deum & Providentiam ejus, prout apertè traditur à S. Paulo *cap. 11. cit. v. 6.* dicente, *Crede oportet accedentem ad Deum, quia est & inquirentibus se Remunerator sit.*

35. Iisdem, saltem post Evangelii promulgationem, ita necessariam esse explicitam fidem SS. Trinitatis & Incarnationis, cum *cit.* Sanchez *n. 8.* Valentia *2.2. disp. 22. n. 4.* & aliis defendit Becanus *de Fide cap. 12. q. 2. concl. 3.* propter textus, *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.* Matth. *cap. 28. v. 19.* *Misit Deus Filium suum &c. ut salvetur mundus per ipsum, & Qui autem non credit in eum, jam judicatus est.* Joan. *cap. 3. v. 17.* *Scientes, quòd non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem JESU Christi,* Galat. *cap. 2. v. 16.* hoc est, in JESUM Christum, ut colligitur ex Græco textu.

36. Verum hi & alii ejusmodi textus, sicut & SS. PP. eis consonæ sententiæ, commodè intelligi possunt, de necessitate Præcepti, aut fide solùm implicita. Unde verisimilius distorum, & multò magis reliquorum Fidei articuloꝝ explicitam Fidem Medii necessitate necessariam non esse, cum S. Thoma 2. 2. q. 2. art. 7. ad 3. docent Sotus in 4. disp. 5. q. 2. cit. Suarez disp. 12. de Fide S. 4. n. 10. Henriquez Lib. 4. de Sacram. cap. 21. §. 2. & Saà V. Fides n. 1. Ratio est; quia ejusmodi explicitæ Fidei necessitas non ostenditur ex naturæ rei; cum salvari valeant Gentiles: de quibus tamen, quomodo dicta Mysteria explicitè credere possint, planè non apparet, præsertim cum inter Christianos tam rudes homines reperiantur, qui Mysteria hæc vero conceptu nunquam apprehendant: imò talem conceptum habere vix possint furdi ac muti à nativitate; quibus tamen tanquam veris Christianis Sacramenta ministrantur. Neque ex Sacra Scriptura, ut dictum est. Neque ex S. Synodo Tridentina, aliòve Concilio vel Ecclesiæ definitione; cum, quæ id tradatur, nulla extet.
37. Altera dubitatio est de necessitate Præcepti. Quò modò recepta D. Thomæ q. 2. cit. art. 5. cit. Suarez disp. 13. f. 3. & aliorum T. T. doctrina est, adultis Christianis omnibus necessariam esse explicitam Fidem non tantum Dei, ut Creator ac Remunerator, atque etiam Trinus & Unus est, & JESU Christi Redemptoris: sed aliorum quoque Mysteriorum, comprehensorum in Symbolo Apostolorum. Quòd de his communiter sumitur partim ex perpetua praxi Ecclesiæ Catholicæ, ad Baptismum, in quo Fidei professio fit, adultos non admittentis, nisi Symbolum didicerint *can. Ante viginti 53. can. Baptizandos 56.*

& can. Non liceat 57. disp. 4. de Consec. partim ex eo; quòd quilibet Christianus utique scire teneatur substantialia suæ Religionis: quæ continentur in Symbolo, ab Apostolis divinò spiritu afflatis composito, antequam ad prædicandum omni creaturæ Evangelium per totum terrarum orbem dispergerentur, ut habetur Catechismi Romani cap. 1. n. 2. & 4. Necessaria tamen non est exacta intelligentia singulorum Symboli articuloꝝ: sed sufficit explicita cognitio eorum quoad substantiam, & ut verbis Symboli proponuntur, *cit. Sanchez cap. 3. n. 17. Azor cap. 6. q. 5. & Palao Tract. 4. disp. 7. p. 10. n. 5.* Verisimilius etiam graviter præcepta non est notitia omnium circumstantiarum in Symbolo expressarum, v. g. quòd Christi Passio sub Pontio Pilato, & Resurrectio tertia die contigerit, ut notat Haunold. *Theolog. Speculat. Lib. 3. tract. 1. n. 411.*

Præter Symbolum adultis graviter præcepta est Fides & notitia sanctissimi Missæ Sacrificii & quòd in isto offeratur Christus, hoc ipso; quòd ejus auditio graviter sit præcepta: & Sacramentorum *c. 1. cit.* expressorum, scilicet Baptismi ac Penitentia; quia sunt media ad salutem necessaria, ille quidem lapsus per peccatum Originale, ista verò relapsus per peccatum actuale, post baptismum commissum: & Eucharistia; quia, sicut Confessio annua, sic istius sumptio in Paschate adultis omnibus graviter præcepta est, *c. Omnis utriusque 12. de Pœnit. & remiss. cit.* Sanchez n. 9. & Suarez f. 4. n. 12. Reliquorum verò Sacramentorum, Confirmationis, extremæ Unctionis, Ordinis ac Matrimonii, sicut susceptio, sic etiam explicita fides & notitia præcepta probabilis non est, nisi ea sumere volentibus. Sanchez *l. cit.*

Demum adultis graviter præcepta etiam

etiam est notitia præceptorum Decalogi & Ecclesiæ; quia sunt leges Ecclesiæ universales, à Fidelibus omnibus observandæ: & Orationis Dominicæ; quia ex una, Deum orare ac deprecari omnibus est necessarium: ex altera verò parte, omnium efficacissima id faciendi formula est Oratio Dominica, ut aliis DD. relatis volunt *cit.* Sanchez n. 9. & 10. & Palao p. 10. n. 8.

40. Quantumvis autem fideles prædicta ignorantes graviter peccent, nisi ignorantia, ob defectum facultatis & occasionis discendi, invincibilis sit: necessarium tamen necessitate Præcepti, etiam rudes sub mortali obligantis, non est, ut quis ea ordine ac memoriter possit recenfere: sed eorum saltem substantiam scire debet, ut de aliquo interrogatus dicere valeat, esse unum ex Mysteriis Fidei divinæ, Sanchez l. cit. n. 19. & Haunold, cit. tract. 1. n. 414. Unde,

41. Dubitatio tertia nascitur, an hujusmodi notitia sufficiat omnibus Christi Fidelibus? Certum est majorem exigi in iis, quibus Christianæ Fidei prædicatio defensionis aut animarum cura ex Officio incumbit. Rationem reddit S. Thomas cit. q. 2. art. 6. quia, sicut Angeli Superiores, qui illuminant inferiores, notitiam de rebus divinis plenioram quam isti habent, teste S. Dionysio Areopagita Hierarch. celest. cap. 12. sic etiam superiores homines, ad quos spectat alios erudire, plenioram & magis distinctam, quam alii notitiam habere debent.

42. In specie Parochi & quicumque habentes officium & obligationem alios docendi, ut sunt Professores, Concionatores, & Confessarii, eam Mysteriorum Fidei scientiam habere debent; ut ea explicare, aliqualem de iis rationem reddere, & difficultatibus communiter occurrentibus satisfacere valeant; aliis enim idonei non

essent ad munus alios instruendi, *cit.* Suarez disp. 13. s. 6. n. 6.

Præ aliis autem Episcopi & Ecclesiarum Pastores Mysteriorum credendorum cognitione exactâ excellere debent; ut singulorum rationem omni postulanti reddere, Hæreticos redarguere, & contra eos Catholicam veritatem, non quidem ex tempore, sed permissâ deliberatione & adhibito aliorum consilio, propugnare & errores confutare possint, ut constat ex S. Paulo ad Titum cap. 1. v. 9. can. Qui Ecclesiasticis 2. dist. 36. can. Omnes 6. dist. 38. Trident. Sess. 22. cap. 2. de Reformat. & Pontificalis Romani Rubric. de Ordinat. electi in Episc.

ARTICULUS. III.

De Catholicæ & Orthodoxæ Fidei Professione.

SUMMARIUM.

44. Hanc introducendi ratio.
45. Ad eam emittendam de beneficiis curatis:
46. De Canonicatu & Dignitate Cathedrali provis.
47. Sub pena amissionis fructuum,
48. Post Sententiam restituendorum, obligantur:
49. Quin tamen amittant Distributiones.
50. Ad eandem professionem omnes Ordinis Episcopalis,
51. Et Regulares etiam Prelati:
52. Professores, & ad Gradum literarum promovendi obligantur.
53. Eam per procuratorem edi posse, negantium.

54. Et affirm.

54. Et affirmantium verior opinio:
 55. Nisi Episcopi vel Apostolicò præceptò
 56. Statutò vel Consuetudine exigatur,
 ut per se ipsum edatur.

44.

UT Episcopi, parochi & alij quorum magisteriò & exemplò Religio Christiana & Fidei morumque doctrina Catholica in populo Christiano conservanda & propaganda ex Officio est, Orthodoxæ Veritati firmius inhaerent, & huic inimica atque erronea dogmata, quàm possent, procul removerentur, à Sacra & Oecumenica Synodo Tridentina *sess. 24. cap. 12. §. Provisi de Reformat.* salubriter introducta est Catholica Fidei publica Professio: ad quam cum juramento, se in Ecclesiæ Romanæ obedientia permanenturos, edendam secundum formam à Pio IV. *Constitut.* quæ incipit *Injunctum*, *Idibus Novemb. 1564. publicatâ* relata, sub peccato mortali obligantur

45.

Primò, provisum de quibuscunque beneficiis, animarum curam actualem (non merè habitualem) annexam habentibus: qui eam intra duos menses à die adeptæ, saltem quoad ipsam curam, pacificæ possessionis, in manibus Episcopi aut Vicarii generalis seu Officialis ipsius, etiam non admoniti, emittere tenentur, ex decreto Synodali *cap. 8. §. Provisi citr.* Barboza aliis DD. relatis in *cap. 12. cit. à n. 14.* & de Officio Parochi *cap. 4. à n. 1.*

46.

Secundò, provisum de Canoniatu vel dignitate in Ecclesia Cathedrali, tam Regulari quàm Seculari: qui, quantumcunque aliàs ab Episcopo sint exempti, Fidei tamen professionem coram ipso vel ejus Vicario generali & Capitulo intra duos menses, à die possessionis pacificæ sive admissionis ad participationem malsæ capitularis, facere tenentur ex decreto ejusdem *cap. 12. §. Provisi autem, Bar-*

boza de Canon. & dignit. cap. 17. à n. 1. & de Offic. Episc. alleg. 61. n. 6. De Canoniatu, inquam, & Cathedrali; De Canoniatu, inquam, & Cathedrali; quia de capellanis & portionibus in Cathedrali: de Canoniatu & Dignitate in Collegiata Ecclesia: uti & de beneficiis Simplicibus aliis provisum ad professionem illam decretò Conciliari non astringuntur, Sanchez *Lib. 2. Moral. cap. 5. n. 1. Palao Tract. 4. disp. 1. p. 19. n. 4.* & Barboza *cit. alleg. 61. à n. 13.*

Quodsi, tam de beneficio curato, 47. quàm de Canoniatu vel Dignitate Cathedrali provisum, intra duorum mensium terminum professionem illam culpabiliter omittant, imprimis ejus emittendæ obligatione non liberantur; quod terminus bimestris non finiendæ, sed implendæ obligationi pœnæque evitandæ, à S. Synodo fuerit constitutus, *arg. c. Cum dilecti 6. de Dolo, Azor p. 2. Instit. lib. 7. cap. 2. q. 5. Garcias p. 3. de Benef. cap. 3. n. 29.* & Barboza in *cap. 12. cit. n. 22.* Deinde in pœnam fructibus, ex ejusmodi beneficiis, non quidem intra bimestre, sed post istius lapsum, ab ultimo ejus die provenientibus privantur adeò; ut eos etiam professione postea facta non recuperent: nec, quoad eorum perceptionem, ipsis beneficii possessio suffragetur: sed illos non residentium instar convertere teneantur in usus pauperum, aut Ecclesiæ fabricæ applicare, *cit. Garcias à n. 30.* & Barboza *alleg. 61. cit. à n. 22.* ubi

Dubium est, an post bimestre lapsum ex beneficio provenientes, & in omni sã professionis pœnam amissi fructus ante Sententiam sint restituendi. Ratio dubitandi est; quia ex S. Synodi decreto professionem omittenti, quoad fructuum perceptionem, possessio non suffragatur, quod tamen fieret, si illi restituendi non essent ante sententiam; cum ante hanc fructus:

fructus facerent suos, eorumque jus & dominium acquirerent. Qua Ratione nixi *citt. Azor q. 1. Garcias n. 55. & Ugolinius de Offic. & potest. Episc. cap. 50. §. 16. n. 4.* illos ante omnem sententiam restituendos docent. Sed meliori Ratione hanc expectari posse defendunt laudati Sanchez *n. 10. Barbof. alleg. 61. n. 28. Palao n. 16. & Bonacina disp. 3. in Decalog. q. 2. p. 4. n. 3.* quòd S. Synodi decretum sit pœnale, & fructus quibus privat, ante omnem sententiam restituendos non exprimat: sicut id, quod de clericis non residentibus est, expressit *sest. 23. cap. 1. de Ref.* ut proinde locus sit interpretationi benignæ, ad fructum ipsò jure amissionum actualem restitutionem, ante sententiam saltem declaratoriam, in conscientia non adstringenti, *arg. e. Cum secundum 19. de Heretic. in 6.* Quare synodale decretum cum DD. *citt.* sic accipiendum est, ut beneficiato professionem omittenti post lapsum bimestre beneficii possessio non suffragetur, quò minus beneficii fructus avocari valeant, etiam post triennem illius possessionem: & post sententiam declaratoriam in conscientia sint restituendi.

49. Dubium secundò est, an professionis omissione amittantur & restitutioni obnoxia ita sint distributiones quotidianæ? Dubitandi Ratio est; quòd, cum hæ non nisi de præbenda provis obveniant, fructus sint ipsarum præbendarum. Verùm, quia de præbenda etiam provis non tituli, sed præsentia & ministerii personalis intuitu exhibentur, præbendarum & beneficiorum fructus propriè non sunt, eorumque nomine non veniunt in materia odiosa; ideòque earum perceptionem ac lucrum professionis omissione impediti, meritò negant Gonzalez *in Reg. 8. §. 7. Rram. n. 154. Mone-*

ta p. 2. de Distribut. q. 19. n. 39. citt. Garcias n. 60. & Barbola n. 30. excipiens, casum, quòd canonicus præter distributiones ullos fructus non percipit; ne, si tales quoque non amittantur, privationis pœna à Concilio lata omnino excludatur.

Tertiò, in Patriarchas, Primates, Ar- 50. chi- & Episcopos promovendi; qui orthodoxæ Fidei professionem in prima Synodo provinciali, in qua ipsi interfuerint, facere tenentur. Quod si quis renuerit, Episcopi comprovinciales Summum Pontificem statim admonere, interimque ab ejusdem reuuentis communione abstinere jubentur, ejusdem S. Concilii decreto *sest. 25. cap. 2. §. Idemque de Ref.* quam professionem ad Episcopatum promovendis etiam injunxit Gregorius XIV. *Constit. quæ incipit Onus Apostolica, edita 13. Martii 1591.*

Quartò, quorumcunque monaste- 51. riorum, conventuum, domorum aliorumque locorum Regularium, etiam Ordinum Militarium Prælati; his enim eadem Fidei professio secundum Trident. *cap. 12. cit.* injuncta est à Pio IV. *Constit. Injunctum cit.* cujus tamen usum non in omnibus Religionibus introductum; ac proinde, quod hac in re suæ Consuetudine receptum est, à singularum prælati observari posse, aliis DD. relatis censent Sanchez *cit. cap. 5. n. 3. Diana p. 3. tract. 2. resol. 78. & Tamburinus Tom. 1. de Jure Abbat. disp. 8. q. 3. n. 2.*

Quintò, Doctores, Magistri, Re- 52. gentes & quicumque alii, cujuscunque facultatis vel artis professores, tam laici quàm clerici, & cujuscunque Ordinis Regulares: qui quacunque, sacram aut prophanam disciplinam vel artem etiam liberalem, in quacunque schola publica vel domo privata docere vel promoveri voluerint, ad orthodoxæ Fidei profess-

K

professionem adstringuntur *Constit. Pii V.* quæ incipit *Sacrofancta*, relatâ a *Rodri-quez Tom. 2. Regular. q. 72. art. 2.* quâ lata Sententiâ, sed non reservatâ Excommunicationis, & privationis omnium dignitatum, beneficiorum & officiorum, & ad eadem aliâque beneficia in posterum obtinenda inhabilitatis pœna decernitur in eos, qui ad Cathedram vel Gradum litterarium aliquem promoverint, sine prævia professione: & Gradus atque promotio irritatur, *citt. Sanchez n. 4. Palao n. 1. & Laiman Lib. 2. tract. 1. cap. 11. n. 7. in fine.* Cujus Piana Constitutionis dispositio in Electorali nostra Universitate accuratè observatur: et si eam, quoad pœnas, imò obligationem quoque non in omnibus Studiorum Universitatibus usu receptam videri, no- tent *Sanchez l. cit. & Suarez de Fide disp. 24. s. 6. n. 2.* quem tamen non ulum non tolerandum, existimat *Pignatell. Tom. 5. Consult. 56. n. 1.*

53. Dubium controversumque inter DD. est, an Fidei professio à personis ad eam obligatis edi valeat per procuratorem. Id enim negant *Ugolin. cit. cap. 50. n. 10. Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. §. 7. Proam. n. 169. Garcias cit. cap. 3. à n. 24. Stephan. Gratian. Discept. cap. 166. cap. 22. & Sigism. à Bononia de Elest. dub. 50. n. 3.* Affirmant autè *Vivianus Lib. 15. de Jure patronat. cap. 3. n. 7. citt. Azor cap. 2. q. 6. Tamburin. q. 3. n. 11. Palao n. 10. Barbosa cit. alleg. 61. n. 20. Sperellus decis. 106. n. 7.* & apud hos alii calculò frequentiori.

Illi moventur primò, S. Congreg. Card. Interpp. declaratione & Rotæ geminâ decisione, illam personaliter præstandam supponentibus. Secundò, *c. Ego N. 4. de Jurejurando* textu, quò ad Episcopatum electum, ad Obedientiæ & fidelitatis juramentum Sedi Apostolicæ

per se ipsum præstandum, obligari desumunt ex verbis, *sic me Deus adjuvet & hac Sancta Dei Evangelia*: & ex tenore Bullarum Pontificiarum, quibus Papa, ut Fidei professionem suo nomine recipiat, certo Episcopo committere solet, ad parcendû laboribus & expensis aliâs subeundis, si eam coram ipso Papa emittere deberent: quâ commissione opus non foret, si professio edi posset per procuratorem; cum eam procuratori Romano committendo labores & expensæ magis evitentur. Tertio Ratione; quòd Fidei professio esse videatur actus personalis; cum sit assertio de assensu hominis interno: eamque exigendò subditos in Orthodoxa Fide & Apostolicæ Sedis obedientia confirmare Ecclesia intendat: ad quem finem personalis professio plurimum confert.

Isti præcipuè nituntur Regulâ, *Po- test quis per alium, quod potest facere per seipsum*, quæ est *68. in 6.* & locum habet, quoties id, quod potest, quis per alium, facere Canone vel Lege, proprium & personale factum exigente, non prohibetur, ut colligitur ex *l. 1. §. 2. & l. Mutus 43. ff. de Procurat. cujus §. 1. procuratoris datio adfruitur cuius jure non prohibito; atque idcirco Edictum de procuratoribus Prohibitorium, sive de re generaliter permisa nuncupatur, Sanchez Lib. 5. Moral. cap. 3. n. 7. & Pirrhing. ad Rubric. de Procurat. n. 25.* Professio autem Fidei per alium edi non prohibetur ullò Jure: imò eam hoc permisam desumitur ex *can. Optatum 4. dist. 100.* quò textu Episcopo Argentinensi negatæ vel dilatæ concessionis Pallii ea quoque Ratio redditur; quòd *aliquem, quia hanc Fidei professionem, juramentò firmare non miserit, Turrecramata in can. cit.* Unde indubitatè arguitur, professionem per procuratorem fieri potuisse spectatò Veteri:

Veteri: cui Novissimo Jure nusquam derogatum; nec derogandi ratio fuit; cum S. Concilii decretis, & Constitutionibus Apostolicis præscripta Fidei professio aliud non sit, quam solenne juramentum, quò eam edens promittit, se ab Orthodoxa Fide & Ecclesiæ Romanæ obedientiam non recessurum: per procuratorem autem præstari juramenta, *c. fin. de Juram. calumn.* & fidelitatem atque obedientiam solenniter promitti posse, omnino exploratum sit ex *can. Tibi domino* 3. 1. junctâ Glosâ *V. Et jurare dist. 68. Et c. 1. §. Verum de statu Regular. in 6.* neque mirum sit; cum per procuratorem matrimonium, quod ex Ecclesiæ Sacramentis est, iniiri, *c. fin. de Procurat. in 6.* & professio Religiosa emitti possit, *Panormit. inc. Accedens 24. de Prab. & dignit. n. 7.* Sylvester *V. Religio 3. q. 5.* *Speculat. de Procurat. §. 1. in fin. & Sanchez n. 7. cit.*

55. Ex duabus his Opinionibus, licet posterior sicut frequentiori DD. calculo approbata, & magis consentanea Juri istiusque rationi, ita praxi quoque recepta sit: non nihil tamen, & id saltem priori tribuendum est, procuratori locum eò saltem casu non esse, quò Fidei professionem personalem à Parocho vel Canonico Episcopus, ab isto Papa: à Prælato vel promovendo ad cathedram vel Gradum litterarium specialiter exigunt Ecclesiæ monasterii vel Academiæ statuta vel Consuetudo, ut *arg. §. Verum cit.* cum Franco *in §. cit. n. 2.* advertit. Sperellus *decis. cit. n. 42.*

56. Neque, seclusâ dispensatione, personalem professionem semper præceptam, evincit pro ea allegata S. Congreg. Declaratio vel Rotæ decisiones; quia istarum binario contrarium statuentium ternarium opponunt Masobrius *de Synodo*

Diœces. cap. 4. dub. 40. & Sperellus n. 37. ubi istam sive declarationem apocrypham vocat; vel emanasse, ait, in casu, quò personalem Fidei professionem Episcopus specialiter exegit.

Minus urget *c. Ego N. cit.* textus. cum, quia dici potest, eo relatam formam præscriptam Episcopo juranti per seipsum: tum verò, quia non apparet, cur non ut cætera sic finalia *c. cit.* verba Episcopi nomine proferre valeat procurator; cum id contingat, quando Fidei professionem Episcopus per procuratorem edit in manibus Papæ.

Majorem vim habet Ratio & Apostolicæ commissiones: quarum tamen, licet illa personalem professionem ad finem per hanc intentum valde conducere suadeat; iste verò, eam per seipsum edendam, non obscure supponat, ejus tamen per procuratorem etiam ab Episcopo editæ nullitatem, aut ita edendæ legalem obligationem nec istæ expriment, nec illa sive Ratio evincit, ut recte observat Palao *n. 10. cit. in fine.* Unde neque Canoniorum Praxis, neque etiam duorum Hispaniæ, quorum *cit.* Sanchez *n. 7.* meminit, neque Germaniæ nostræ Episcoporum, professionem illam aliquando per Procuratorem emittentium exempla, pro Juris Ecclesiastici transgressionibus habenda sunt & damnanda.

Cæterum, cum Ordinarius aut Viscator super emissâ Fidei professione ex Officio inquirat, eam editam exhibitâ scripturâ authenticâ aut fide dignorum testimonio probandi onus provisò DD. imponunt: dummodo beneficii possessio non sit decennalis; ex hac enim illam factam præsumi, docent *cit.* Palao *n. 12. & Barbosa n. 21.*